



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Libertates à sede de possessionibus Dominorum de Horbach.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

indignus, hæc eadem & cætera Ecclesiæ ac familiæ nostræ iura sicut supra digesta sunt, & ad nos conferuata, recolens & confirmans huius instituti paginam, ne quis temerare præsumat, vel infringere ad iudicium firmitatis sigillo nostro muniri feci.

Fundatio Ecclesiæ in *Osterhouen*.

Imperatore tertio *Ottone* rebus humanis exempto *Heinr.* Dux *Bauaria* qui vocatus est iunior, in imperium subrogatur. Huic in ducatum *Bavaria* succedit *Heinr.* qui & *Hezel* dictus est, patruelis eiusdem Imperatoris. Hic duobus filiis orbarus, quos *Huni* peremerunt, Christum heredem sibi facere, instituens locum *Osterhouensem* fundare & patrimoniorum suorum copiosa liberalitate magnificare adorsus est. Sed præmatura morte traductus institutionis & propositi sibi heredem Imperatorem dereliquit. Hic quoniam & ipse sine hæredibus carnis permansit, *Babenbergensem* Episcopatum fundauit, & *Osterhouensem* Monasterium cum omni prædicti Ducis patrimonio Episcopatui donauit, & subiecit, & sæculares Canonicos in loco *Osterhouensi* ordinauit, constituta eis præbenda, de modica portione prædictarum possessionum, quæ institutio pene per C. annos vique ad *Ottonem* Episcopum permansit. Hic consilio *D. Norperti* Archiepiscopi sæcularibus Canonicis locum *Osterhouensem* mancipans, *Pramonstraten*: ordinem deuotè induxit. Anno ab incarnatione Dñi. M. C. XXVII. regnante *Leuthario* Imperatore, & *Innocentio* II. PP.

Libertates à fede de possessionibus Dominorum
de *Horbach*.

Gregorius IX. Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis *Henrico* Præposito, & Conuentui Monasterij de *Osterhouen*, *Pramonstraten*. ordinis salutem, & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere cõsensum, & vota quæ à rationis tramite nõ discordant, effectu persequente complere. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu possessiones, & alia bona vestra quæ sicut vos asseritis nobilis vir de *Horbach Chunr.* Monasterio vestro pia liberalitate concesserit, sicut ea iuste omnia possidet, & quiete vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrimonico patrocinio comunimus. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & Apostolorum *Petri* & *Pauli* senouerit incurfurũ. Dat. *Lateran.* X. Kln. April. Pontificatus nostri an. IV.

L. Apostolicæ de Decimis *Goszenpach*, *Chrems*, *Centingen*, & *Gerling*.

Gregorius IX. Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis *Heinrico* Præposito & Conuentui Ecclesiæ sanctæ *Margaretæ* de *Osterhouen* *Pramonstraten*. ordinis, *Patauien*. Dyoc. salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Roma Ecclesia deuotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne prauorũ hominum molestiis agitentur, eos tanquam mater pia siue protectionis munimine cõfouere. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis precib. inclinati personas vestras & locum in quo diuino obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum præstante Domino iustis modis poteritis adipisci sub B. *Petri* & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiã de *Osterhouen*. cum *Capellis* & pertinentiis suis. *Decimas* quoque & *Curtes* de *Goszenpach*, de *Chrems*, de